



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.
XII**

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De bufone, qui persecutus est Theodericum cognomento Cancer, cap. 67.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

In villa Carpania diœcesis Colonienfis, cuius supe- *De bufo*²
 riūs * memini, homo quidam fuerat, de quo mihi *nibus*.
 non constat utrum adhuc viuat, religiosus, sed cœ- * *cap. 64*
 cus, Theodericus nomine, cognomento Cancer. Hic
 tempore quodam juuentutis suæ, dum in agro tribu-
 los aridos leuasset, bufonem sub eis magnum offen-
 dit. Qui cùm se contra eum in pedes suos posteriores
 quasi ad pugnam erexisset, ille iratus, arrepto ligno
 vermem occidit: Mirabile dictu, cùm Theodericus
 nihil minùs suspicaretur, vedit bufonem extinctu sua
 insequi vestigia: quem cùd denuo transfodisset, & mul-
 totiens concremando incinerasset, non tamen profe-
 cit. Non fuit locus adeò mundus, adeò remotus, qui
 ei ad dormiendum esset tutus. Noctibus per clypeum
 timore illius ad trabem suspendebatur. Cùm tempo-
 re quodam equitaret cum quodā venatore socio suo,
 eique tanta mirabilia conquerēdo recitaret, ecce ver-
 mem eundem ille vidit, caudæ eqni eius inharentem,
 celeriusque ad eum scandentem: qui mox exclama-
 uit; Catie, caue, en diabolus equum tuum ascendit.
 Mox ille desiliens, occidit illum. Alio itidem tempo-
 re, sedente eo cum sociis suis, conspicatur sepe dictum
 vermem in poste proximi parietis: Ecce, inquit, ubi
 diabolus ille; nunquam ab eo liberabor, nisi se vindicauerit. Moxque nudata coxa, sinebat vermem acce-
 dere, quem cùm momordisset, mordentem manu ja-
 ctauit, ipsumq; morsum celerius rasorio, ad hoc præ-
 parato, absindens, longius projectit. Mox mirum in
 modum ipsa præscissura, ob infectionem veneni, ad in-
 star pugni intumuit & crepuit; sicque liberatus est à
 verme illo immundissimo. Postea idem Theoderi-
 cus, à quodam milite innocentè exoculatus, tantæ
 effectus est religiositatis, ut semper nudipes incederet,
 & sic limina beatorum Apostolorum Petri & Pau-
 li, nec non & sancti Iacobi apud Compostellam, mul-
 tis vicibus frequentaret. APOLLONIUS: Nunquam au-
 diui talia. CAESARIUS: Sæpe per huiusmodi monstra
 Deus peccatores punit, ut nouerint quanta sit in fu-

S F turo,

turo, vbi vermis non morietur, & ignis non extingue-
tur, vanis, gulosis, necnō & luxuriosis, atque immun-
dis, pœna præparata. De vanis, vt sunt venatores, iam
dictum est. De luxuriosis exemplū habes in vita san-
cti Malachiæ, vbi homo luxuriosus per bufonem fu-
gatus est à femina religiosa. De gulosis memini me
dixisse in distinctione quarta cap. 76, vbi intestina gal-
linæ versa sunt in bufonem. Referam tibi de hoc etiā
recens exemplum.

CAPVT LXVIII.

IN Berge, villa diœcesis Coloniensis, sacerdos qui-
dam celebrat, homo satis mirabilis, & gulæ totus
deditus: nolo eum nominare, spero quòd adhuc
vitam suam beatem emendare. Huic consuetudo est
tempore aestiuo, propter incitamenta gulæ, tantum in
phialis bibere, id est in cyphis vitreis. Die quadā, phia-
lis suam vino repletam tollens, cū nescio cui ad po-
randum illam porrigeret, bufo magnus fundo insedit,
de qua visione valde territi, mirabantur, quomodo
corpus tam grande intrare potuisset, cùm eidem vas
quod inferius diffundebatur, esset collum longum &
exile nimis. Cumque sacerdos non posset vermem ej-
cere, neque vas vellet frangere, in locum vnde illum
tulerat reposuit, & post horam reuersus, nihil in eo re-
perit. Nimirum, liquor ille miraculosè conuersus fue-
rat in vermem horridū, vt eius exemplo sacerdos ab-
horreret ebrietatem.

CAPVT LXIX.

NOn est diu, quòd per huiusmodi vermem Deus
Iudæos, qui corpore & cultu omnino immundi
sunt, miraculosè satis confudit. In villa prox-
ima, quæ Wintere nominatur, tempore quodam lu-
dæi illic eommorantes, in domo cuiusdam militis,
quam conduxerant, quasdam solemnitates celebra-
bant: cuinque altare pannis multis ac mundis ope-
ruissent, tempore sacrificij vespertini simul intrantes,
sacerdos ad altare accedens postquam pannos revol-
uit, sub eis circa medium altaris maximum bufonem
inuenit, qui cùm ex nimio horrore clamasset, ac-
cur-